

PALATINO SELECTUS.

221

betur ; cui opinioni libentissimè accederem, si inscriptio *Ἀἰτναίων* haberet; Cùm autem expressè *Καταναίων* inscriptus sit Nummus, omninò Charondæ tribuendum haud abs ratione fortè aliquis contendere possit. Notum est, & GOLTZIUS ipse agnoscit, quòd Hiero nomen Catanæ in Ætnæ mutaverit, tanto studio & ambitione, ut & in Olympicis Victor se ipsum Ætnæum per Præconem pronunciari iusserit, expulsisque Civibus, novos Colonos in eam deduxerit; Notum itidem est ex eodem, quòd mortuo Hierone Cives expulsi redierint, novos Colonos ejecerint, Urbi nomen suum restituerint, tumulumque Hieronis, quod ei publicè exstructum fuerat, everterint ; Ut ita nec ratio nominis, quod eo tempore, quo Hieronis in hâc Urbe nomen colebatur, non Catana, sed Ætna fuit, nec odium Civium, quo in mortuum etiam sæviebant, permittere videatur, ut Hieronis Leges hoc nummo designari credamus.

Nummus secundus habet Caput imberbe hederâ cinctum cum inscriptione *ΑΑΣΙΟ*. In aversa visuntur Amphinomus & Anapias, quales parentes suos ex Ætnæ incendio exportasse memorantur. Eundem exhibet PARUTA No. 16. Caput illud imberbe Bacchi est, quod ex corona hederacea corymbis foliisque frontem decorante apparet ; Eam enim Baccho sacram esse, dubium non habet ullum. Cujus rei præcipuam causam refert *ATHENÆUS*, quòd Hederæ citra odoris gravitatem refrigeret, coronaque inde facta capitiq; imposita pro medicina serviat iis, qui nimium bibissent ; Bacchum enim non tantum invenisse potum, sed etiam malis inde nascentibus succurrere. Imberbem fuisse Bacchum ex *OVIDIO* patet :

*Tibi inconsumta juventa est.*

*Tu Puer æternus, tu formosissimus alto*

*Conspicaris Cælo.*

Quòd autem in Catanensium Numismatibus non semel occurrat Bacchus, oculatus testis *ILLUST. SPANHEMIUS* causam ex loci situ accersit, totumque agrum Cereri & Libero Patri sacrum fuisse affirmat, quòd egregio vini & fegetis luxuriaret proventu.

Vocabulum *λάσιος* apud Græcos *hirsutum*, & de homine *animosum*, de agro *herbidum*, & *Arboribus confitum* significat, apud *HOMERUM* *λάσιον κηρ*, & apud *PHILONEM* de vita *Mosis* *λάσιος χωρὶς* dicitur, quo sensu itidem vel terram vini feracissimam, & vitibus confitam, vel animositatem intelligimus, quæ ex larga vini potatione plerumque nascitur:

*Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat ?*

Ec 3

Igitur